

lis 117.10.7.40. Mahabar siue Moaber terra à Cael Melybarum ad Baniguel-  
 ellam, hodie hæc tota terra Cholmenda dicta est, habet præclaras ciuitates Milipar  
 uel Maylapur sepulturæ S. Thomæ Apostoli clara 128.30.6.0. Peleachet 127.30  
 11.0. Tarnassera quæ & Tanaceri regalis 135.0.15.20. Oriza 141.0.20.15.  
 Ceulia & Narfinga regna latissima, præclaras habent urbes Narfingam regalem  
 126.0.19.0. Post hoc regnum hoc Narfingæ incipit regnum de Otyfa, per quod  
 Ganges fluit, quem Indi Guenga uocant, & omnes à longissimis regionibus illac  
 concurrunt in peregrinatione, dicuntq; se absolui à peccatis, si in flumine illo ablu-  
 antur, qui ex Paradiso ortum habet Bilinagar 122.30.15.0. India trans Gangem, ab  
 occasu habet alteram Indiam & Gangem fluuium, ad septentrionem Scythiam &  
 Sericam, ab ortu Sinarum regionem, à meridie Indicum pelagus. In hac est aurea  
 chersonesus, quæ hodie Melacha est: hæc India habet sub se Baniguellæ regnum, &  
 eiusdem nominis urbem præclaram sub grad. 148.15.17.30. Ab hinc ad Siam-  
 bam usq; quæ sita est sub grad. 170.0.2.0. Macyni territorium, continet Peygu &  
 Tenasseri regna ditissima. Item etiam Tschernache, Sagmaij, Murfuli regna. Litto-  
 rales urbes earum sunt Amuquida 155.0.14.0. Moij 156.0.10.0. Melacha ab aliis  
 quibus Malaqua uulgatissimum emporium 157.30.7.0. Pego regalis 162.30.2.30  
 Tholonia 193.0.6.0. Sagmai uel lamay quidam 182.0.15.0. In mediterraneis An-  
 gales 171.30.20.30. Capelanum 165.0.10.0. Sinarum regionem terminant, à se-  
 ptentrione Serica, ab ortu atq; meridie terra Ptole. incognita, ab occasu India trans  
 Gangem, & magnus Sinus qui hodie mare de Sur uocatur. Regionem hanc Czini  
 uocant regionem, in hac est regnum latissimum Balba, & magnum desertum Belor.

### De regionibus extra Ptolemæum.

#### CAPVT XX.

**R**egiones quæ extra Ptolemæi descriptionem sunt, non adhuc adeo cer-  
 tis authoribus traditæ, nec etiam tanta diligentia descriptæ. Ab ortu  
 quicquid rerum ultra Sinas, Serasq; ac ultra 180. gradum longitudinis  
 est, totum Ptole. incognitum permansit. Post Ptole. uero ultra 180. gra-  
 dum uersus orientem multæ regiones repertæ per quendam Marcum  
 Polum Venetum, ac alios, sed nunc à Columbo Genuensi, & Americo Vesputio solum  
 loca littoralia ex Hispanijs per Oceanum occidentalem illuc applicantes lustratæ  
 sunt, eam partem terræ insulam existimantes uocarunt Americam, quartam orbis  
 partem. Modo uero per nouissimas nauigationes factas, anno post Christum 1519.  
 per Magellanum ducem nauium inuictissimi Cæsaris diui Caroli &c. uersus Moluc-  
 cas insulas, quas alij Maluquas uocant, in supremo oriente positas, eam terram inue-  
 nerunt esse continentem superioris Indig, quæ pars est Asiæ, in qua immensa regna,  
 ingentia flumina, multaq; alia dictu miranda, de quibus partim supra mentionem  
 fecimus. Sunt autem hæc huius portionis regiones, Bachalaos, dicta à nouo genere pi-  
 scium ibidem, Bergi regio magna, terra florida, desertum Lop, & urbs eiusdem no-  
 minis sub grad. 213.20.48.0. Tomacho prouincia. Sujur, Sampa uel Zampa, Cas-  
 ual, Tangut, Cuschin, Cathay, quæ & Chulmana, S. Michaelis prouincia, Messigo,  
 quæ & Mexico regio, in qua urbs permaxima in magno lacu sita Temistita, sed apud  
 uetustiores Quinsay erat uocata, sita sub gra. 226.30.21.0. Raylmana Tebequi re-  
 giones, deinde uersus ortum Temiscanata, Parias, Dariena, Vrabe, Pariona, Canis-  
 bales ac aliæ quam plurimæ regiones.

De Insu